

Syriacus n. 14. Quidam autem ex eis profecti sunt ad Phariseos. Arabicus. Qui nuntiauerunt quodcumque fecerat Iesus.

EXPOSITIO XIV.

218.



ULTI ergo ex Iudaeis. Ecce iam incipit adimpleri id, quod Dominus dixit: Infirmus hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Dei filius per eam. Nam multi ex Iudaeis, ac magnitudine tanti miraculi compulsi Christum verum esse Messiam profitebantur. Qui venerant ad Mariam, & Martham, crederunt in eum. Ecce quanta vilitas ex societate bonorum, qui enim vrbaniatis causa venerant ad visitandas, ac consolandas sorores, illuminati sunt diuina fide, ut in Christum crederent.

Vilitas ex conuersatione bonorum.

219. August. Glossa. Origenes.

Quidam autem ex ipsis. Quo animo id fecerint, bono, an malo animo dubitat D. Augustinus. At verò existimant Glossa, & Origenes eos posuisse id bono animo facere, ut si Pharisei in Christum credere nollent, saltem mitiori animo essent erga eum. Communis sententia est, eos malo animo id fecisse, hos enim opponit Euangelista illis, qui in Christum crediderunt. Ergo hi non erant credentes, sed miraculum magicum, vel praestigiosum arbitrabantur. Moti sunt ergo ad hoc nuntiantium Phariseis, vt eorum gratiam captarent, vt vult D. Cyrillus eo quod de Christo se non bene sentire significarent. Secundò, quia Christum Dominum, vt ait Euthymius, tanquam praestigiatorum, & impostorem accusabant. Tertio, hoc magno miraculo narrato maxime voluerunt excitare, ac instigare inuidiam, & odium Phariseorum in Christum; vnde mox coacto Concilio eum occidere decreuerunt. Quarto, Theodorus Mopsuest. Leontius, Theophylactus inquit, quod voluerunt eum accusare tanquam facilem, eo quod mortui corpus effodisset.

Cyrill.

Euthym.

Theodor. Leont. Theophyl.



CAP. XXXVI.

Concilium Phariseorum.

Ioan. I. n. 47. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisei concilium & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

VERSIONES.

Syriacus. Et congregati sunt Principes Sacerdotum, & Pharisei, & dicebant: Quid agemus? Nam vir iste signa multa edit.

Luc. Burgens. Collegerunt Summi Sacerdotes, & Pharisei synedrium

D. August. tr. Quid faciemus? quia hic homo.

D. Basilus. Quia hic homo talia signa facit.

EXPOSITIO I.



OLLEGERUNT ergo Pontifices, & Pharisei conuocant concilium ad deliberandum, quid agendum sit; in quo quatuor sunt consideranda. Primò, concilium. Secundò, causa conuocationis. Tertio, personarum conuocata. Quarto, finis conuocationis. Concilium est multorum conuentus, qui in rebus magnis, ac difficilibus saepe fit. Causa huius conuocationis, indicat illa particula, ergo, in textu: Collegerunt ergo. Cognita nempe resurrectione Lazari, à morte quattuoridua, quae die antecedenti facta fuerat in Bethania vicina Ierusalem, quae denunciata fuit Phariseis, vt patet ex superiori vers. 46. Personarum conuocatae fuerunt Pontifices, & Pharisei. Syriacus vertit, Principes Sacerdotum, qui erant viginti quatuor Principes, & capita sortium Sacerdotum, vt voluit D. Augustinus, & alij, de quo exposit. 3. tempore illo Romanorum sacerdotium non erat perpetuum, ac proinde qui Pontificatu functi erant, etiam dicebantur Pontifices, & magnis negotiis vocabantur. Pontifices, & Pharisei. Quam facile iniqui coadunantur ad malum. Pontifices, vt inquit Albertus Magnus, D. Anton. Vlyssipponens. serm. in feria 6. in quibus erat auctoritatis praeminentia. Pharisei, qui religionis zelo alios praecellebant, gemina facie crudeliter armatur iniquitas auctoritate, & zelo.

1.

Syriac.

August.

Iniqui coadunantur ad malum. Alb. Magn. Anton.

2.

Ex bono prouocantur ad malum.

Chrysof.

QUESTIO I.

Quare tantorum hominum fit concilium aduersus Iesum?

INVS homo ad deliberandum, tanquam nullus homo reputatur, id autem quod multorum iudicio fulcitur, probum, ac firmum habetur. Ait Deus Moysi: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, & duces eos ad ostium tabernaculi: vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum omnes populi, Num. 11. num. 16. Ad quid tot, ac tanti eliguntur viri ad iudicandas causas populi, cum isti essent senes probi, ac prudentes, & quod magis

3.

Num. 11.

gis

gis est diuina gratia erant illustrandi? Vt patet: Auferam de spiritu tuo: id est, accipiam, ac nouiter producam aliquid simile specie spiritui tuo, vt est communis expositio D. Augustini. ibi q. 18. Theodoret, & aliorum. Ad quid ergo tot viri superno lumine illustrati? Vt eorum sententia firma, ac proba haberetur erga populum, ne quis aunderet repugnare, & contradicere, quod tantorum iudicio erat firmatum, multi enim magni viri non facile conueniunt, vt à vero, ac bono aberrent. Abulens. ibi q. 66. Facta est tantorum hominum electio. Vt quando omnes, ait, aut plures concordarent, certum esset, iustum esset, quod ab illis desineretur. Et postea subdit: Humana iura dicunt, firmum esse iudicium, quod plurimorum sententia confirmatur.

August. Theodor. Quod multorum consilio sit, probum habetur.

Abulens.

4.

Rupertus. Iudaei auctoritate Concilij malitiam defendunt.

Ioan. 18.

Salmeiron.

5.

Luc. 24.

Hinc Iudaica malitia, ac perversitas sollicitante machinatione concilium congregat aduersus Iesum, in quo assistunt Pontifices, Pharisei, virique magni Reipublicae, vt eum interficerent, per Concilij ordinem legitimum. Vt scribit Rupertus lib. 16. vt à tantis reprobata innocentia iuste damnata videretur; & summè iustus, ac Sanctus ex multorum suffragio, veluti criminis reus haberetur, vt ita per eorum vota in populi oculis crimina componeretur, ac tantorum Concilio error nobilitaretur, & summa impietas patrocineretur. Pessimi principes Sacerdotum, ac Pharisei Christum Dominum ad plurimos iudices deferunt, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, vt scribit Ioan. 18. num. 13, 24, & 28. Ad quid ante tot iudices sistitur, cum vnus esset sufficiens ad capitis sententiam profertendam? Tamen tanti Iudices eliguntur, vt innocentissimo Agno grauior fieret iniuria; & iustior in reum censura videretur, quae à tam multis, ac grauissimis viris comprobata erat. Salmeiron tom. 10. tract. 19. Factum hoc est, ait, vt quo Christi condemnatio à pluribus fieret, eo esset Christo ignominiosior, & iustior videretur apud populum.

In specie peregrini factus Dominus obuiam in itinere discipulis euntibus in Emmaüs, qui cum causam eorum tristitia quareret, ipsi exponunt esse mortem Magistri sui, & enarrant dicentes, Quomodo cum tradiderunt Summi Sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel, Luc. 24. num. 20, 21. Quomodo Christi discipuli, qui eius erant assidui comites, eiusque doctrina, ac schola enutriti, eiusque miraculorum, ac signorum testes, & inspectatores, sic fluctuant, sic eorum spes extenuatur, vt dicant: Nos autem sperabamus, quasi iam non sperarent? Praecipue, cum ipsi fateantur, quod sanctae, & probatae mulieres, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, se Angelorum visionem vidisse, qui dicunt eum viuere; cur ergo Domini discipuli sic infirmantur in spe ex morte Domini, & insuper, quod illa esset tertia dies? Mors Domini illata est auctoritate summorum Sacerdotum, & principum: Tradiderunt Summi Sacerdotes, & principes nostri. Innocentia autem multorum etiam iniquorum iudicio condemnata, multum periclitatur, multumque in discrimen adducitur, ita vt etiam viri magni de illius magnitudine dubitent, de illiusque praclaris operibus redemptionis Israel fluctuent. Auctor Graecus apud D. Thomam: Quem tradiderunt Summi Sacerdotes, ac principes nostri; nos autem sperabamus. Sperabamus, inquit, non speramus, ac

si mors Domini similis esset morti aliorum. Cum Dominus esset traditus ad mortem à summis Sacerdotibus, & principibus, illius mors videbatur reputata veluti mors aliorum, qui tanquam rei, & non vt innocentes condemnantur.

Factum est verbum in domo Nabuchodonosoris regis; vt defenderet se; vocauitque omnes Maiores natu, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dicitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subingaret imperio, Iudith 2. num. 1. Quomodo negotium regis barbari dicitur mysterium consilij sui? Bene scio, quod in praesenti Vatabl. Mysterium Concilij, id est, consilium, quod voluit secreto tegendum, ac abscondendum à Consiliariis, vt explicant interpretes Patres Celada, Velfo, & alij. Tamen moraliter mysterium, id est, res abscondita, & maxima veneratione habenda. Sic ait Paul. ad Colossens. 1. num. 26. de Incarnatione: Mysterium, quod absconditum est à saeculis. Nabuchodonosoris consilium dicitur mysterium; magnotum consilia semper sunt in multa veneratione. Quid agebatur in consilio? vt defenderet se, quod est res iusta, & proba, tamen ipse quid intendebat? Vt omnem terram suo subingaret imperio. Quod erat quaedam inuasio, ac rapina; ipse enim ad aliena regna nullum habebat ius; ecce mysterium consilij regis, vt latrocinium, ac rapina aliorum regnorum, sic esset in veneratione, ac aestimatione, tanquam si esset recta iustitia, ac proba defensio.

6. Iudith 2.

Varabl.

Celada. Velfo.

Coloss. 1.

Concilium magnotum in multa veneratione.

QUESTIO II.

Quare hoc Concilium Phariseorum tam deprauatum, & iniquum extitit?

ARTIS laudabile, quod in re magni ponderis concilium fiat, & quod iudices Consiliarios sibi aduocent. Mandabat Deus populo Hebraeo: Iudices, & Magistros constitues, in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dedit tibi, Deuter. 16. n. 18. Magistros, Graecè, id est, viros literatos; non solum mandat, vt in portis sint iudices, sed etiam ei adiectos esse voluit Magistros, viros nempe literatos, quos consulerent in rebus magnis. Cauebat Deus, ne iudex suo cerebro praesidens temere, ac incaute ageret, ideo disponebat, vt consiliarij assisterent. Caietan. Ad literam, ait, significare videtur Patres conscriptos, cum quibus causare, ac desimire debent.

7.

Deut. 16.

Graecus. Res consulenda cum literatis.

Caietan.

8.

Tolet.

Ecclesiastica tractent Ecclesiastici, & non saeculares.

Lamprid.

Deinde. In hoc concilio adfunt Pontifices, & Pharisei viri religiosi, & qui maxime de religione tractabant. Et hoc, vt ait Toletus ann. 15. rectè fit, vt negotia Ecclesiastica per eos tractentur, & discutiantur, apud quos est auctoritas, & scientia. Hoc autem negotium de Messia, & Christo vero agnoscendo erat Ecclesiasticum, & ad religionem maxime pertinens, & ideo agitur per Pontifices, & Phariseos, neque enim saeculares immiscere se debent in rebus religionis definitis, & decernendis. Saeculares tractent saecularia; Ecclesiastici verò Ecclesiastica, vniuersisque in suo ordine. De Seuero refert Lampridius: Fuit illi consuetudo, ait, vt si de iure, aut de negotijs tractaret, solos doctos adhiberet; si de re militari, milites veteres, & senes bene meritos. Nabuchodonosor cum de incundo bello cogitat ad totum

**Iudith 2.** fubiugandum orbem: *Vocant omnes maiores natu, omnesque Duces: & bellatores suos*, Iudith 2. num. 2. Decernunt Philisthæi arcam Domini esse restituendam populo Hebræo, dubitant tamen de modo, ac cultu, quo id faciendum sit: *Et vocauerunt Philisthæi Sacerdotes, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum*, 1. Reg. 6. num. 1. Non Consulunt Principes, ac Duces suos, qui bello captam adduxerunt arcam, sed Sacerdotes.

**Abulens.** Abulens. ibi q. 6. *Remitti arcam pertinebat ad ceteros Deorum; de his autem poterant melius indicare Sacerdotes.*

**9.** Hoc tamen Pontificum, ac Pharisæorum concilium fuit pessimum, ac valde iniquum. Primum, quia in eo congregati sunt Principes, Sacerdotes, & Pharisæi, viri pessimi, & iniqui, & ab iniquis mala, & iniqua prodit operatio. Ait Iacob: *Simeon, & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea*, Gen. 49. n. 5.

**D. Thom.** D. Thomas hic: *De Simeone fuerunt adiuuatores facta Pharisæorum. Pontifices autem manifestum est de tribu Levi fuisse. De tribu Levi Pontifices, de tribu Simeon Pharisæi, quales hi ergo erunt vasa, seu instrumenta bellantia iniquitatis ad omne malum, & iniustitiam inferendam, & ideo subdit Iacob, in consilium eorum non veniat anima mea, sed longè sit ab eis.*

**10.** Secundo. Fuit hoc concilium malum, & pessimum, ut ait D. Thomas, ex prava intentione, congregati sunt enim contra Christum Dominum cogitantes eum occidere, & quamvis aliàs consultatio ipsa, & quod res Ecclesiastica per Ecclesiasticos tractetur, sit quid bonum secundum se præcisè consideratum, tamen ex prava intentione illa inficiuntur, & pessima redduntur. Ait Angelus Episcopo Sardis: *Esto vigilans, & confirma cetera, que moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo*, Apocal. 3. num. 2. Maxime insulant Expositores, ut explicent, quam sint opera moritura. Mandat Angelus Episcopo, ut vigilet, ad hoc ut confirmet, seu viuificet, seu animare faciat opera sua, hæc autem opera Angelus non dicit mortua, sed moritura, seu proxima morti. Et postea subdit: *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Quinam horum nexum cum antecedentibus? imò cum superioribus est manifesta contradictio; nam si opera illa non erant plena coram Deo, sed vacua iustitia, ac charitate, non erant moritura, sed mortua. Quænam ergo sunt ista opera? Opera illa Episcopi secundum se erant bona, erant enim opera eleemosynæ, ieiunij, pœnitentiæ, prædicationis, & similibus. Cum tamen Episcopus ea faceret ex intentione vanitatis, ac iactantiæ, opera illa moriebantur, & peribant, & non erant plena coram Deo; mandat ergo ei, ut vigilet, ad hoc ut recta intentione viuificet opera sua, ut sint placita, & grata oculis diuinæ maiestatis. Albertus Magn. *Esto vigilans*, ait, *quasi dicat, usque nunc dormisti, non dirigendo intentionem tuam, sed nunc aperi oculos tuos, ut intentionem tuam in Deum dirigas, non ad homines. Et confirma cetera, que moritura erant, quasi dicat: Si vis viuere, fac que facis intentione bona; non enim inuenio opera tua plena, scilicet recta intentione; opera enim hypocritarum sunt vana, quia faciunt omnia pro inani gloria. Vide supra cap. 22. num. 29.**

**11.** Tertio. Exitit hoc concilium malignum, & peruersum, cum valde præcipitatum fuerit. Pro-

ponitur in concilio causa grauissima, quæ ad omnium salutem spectabat. Et tamen Consiliarij sine vilo iuris ordine, sine vlla discussione Scripturarum, nulla assistentibus facultate deliberandi, ac considerandi facta, statim sine vlla mora causam iudicant, ac determinant, ut Auctor vitæ moriatur: *Ab illo die cogitauerunt, ut interficerent eum*. Consequens ergo fuit, ut iudicium tam præceps valde venenosum, ac peruersum esset. Vbi enim veritas, ac iustitia indagatur, morosè, & cum discussione causæ semel, & iterum procedit iudex.

Cum vidisset Deus hominum peccata multiplicata, & omnem terram vitij corruptam, ait ad Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me*, Gen. 6. n. 17. Attamen antequam Deus hæc Noë dixisset; inuenies Deum bis secum loquentem; semel ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine*, n. 3. & iterum: *Delebo hominem, quem creavi, à facie terra*. Cur Deus antequam verba habeat cum Noë, toties secum loquitur, veluti cogitans, ac deliberans peccatorum supplicia? Nam eorum delicta erant valde cognita, & nota. Ad quid ergo huiusmodi repetitiones, cum Deus omnia vnico intuitu comprehendat? Pro iudicium documento; nam Deus infinite sapiens antequam sententiam proferret, ac promulgaret Noë bis secum rem deliberat, & cogitat: *Non permanebit spiritus meus in homine. Et iterum: Delebo hominem*. Ut hoc instruantur humani iudices mature, ac cum multa deliberatione multipliciter meditari causas, antequam sententiam pronuntient. Caietan. *Pensemus*, ait, *quomodo tanquam actor essendi Deus secum meditatus fuerit bis, tertio autem promulgauerit iudex sententiam.*

Delinquentem Episcopum Ephesinum premit iudex Angelus dicens ei: *Memor esto itaque, unde excideris, & æge pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*, Apocal. 2. num. 3. Episcopum in suo munere deficientem terret iudex Angelus, tamen multis documentis vocem suam mollic. Primum: *Memor esto unde excideris*; ad culmine scilicet charitatis, ac iustitiæ, in qua ambulabas. Deinde medicamentum admouet: *Æge pœnitentiam*. Et tandem, ac tertiò eum exhortatur redire ad pristinum statum: *Prima opera fac*. Et tunc acerbe minatur: *Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*; hoc est, te eiiciam ab episcopali dignitate. Angelus constitutus erat iudex, videbat delinquentem, cur tantis monitis interpositis cunctatur? Deinde, ut admoueat candelabrum, seu Episcopalem dignitatem, ait: *Sin autem venio tibi*. Si in his defeceris, venio tibi ad te puniendum, ad quid requiritur aduentus Angeli, ipse enim diuina scientia illustratus optime sciebat Episcopi statum? Voloit tamen Angelus in causa tam graui eiiciendi Episcopum à sua sede multas moras trahere interpositis verbis, monitis, ac aduentu suo, ne si festinaret ad puniendum temerè agere videretur. Præclare Rupertus lib. 2. in Apocal. *Non dixit, ait, quia charitatem tuam primam reliquisti, idcirco venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, sed grande interual- lum voci sue, magnum frænum posuit currenti sententiæ. Multum interuallum verbis, ac monitis posuit Angelus, ut cunctationem faciat, & magnum frænum posuit currenti sententiæ. Deinde, ait: Sin autem venio tibi, ad iterum rem ditentiendam, & examinandam, bonam formam puniendi cum maturitate,*

Iudicium præceps iniquum.

12. Gen. 6.

Index multipliciter sententiam proferendam cogit.

Caietan.

13. Apocal. 2.

Index in sententia dicenda habet moras ad deliberandum.

Rupert.

**Cassiodor.** maturitate, ac deliberatione præscribens, & magnum frænum posuit currenti sententiæ. Ex quo ait Cassiodorus lib. 7. form. 5. *Cunctator esse debet, qui de salute iudicat.*

QVÆSTIO III.

Quare cum afflictione, ac angustia dicunt Pharisæi in Concilio, quid facimus?

**13.** **Cassiodor.** **ENSVM** genuinum, ac literalem horum verborum. Quid facimus? dixi in expositione, nec hic iterum repetendus, sed ibi videndus. Caietan. ait, quod cum dicitur in Concilio quid facimus? *Arguendo legendum est. Materia tractata in concilio non nuda describitur, sed cum modo, quo tractabatur: arguendo scilicet proprias moras.* Vnde explicat Hugo: *Quid facimus, quasi, cur pigritiamur, cur nobis non prouidemus? Die, ac nocte aduersus Dominum cogitabant malum, & tamen se de pigritia accusant, tanto impetu iniquus fertur in malum, ut præ desiderio suo omnis eius vehemens cogitatio pigritia, ac mora videatur.*

**14.** **Alb. Magn.** Albertus Magn. moraliter explicat hæc verba: *Quod facimus? Quod sint verba animi angustiatum, ac afflictum: Angustia autem hæc, ait, prouenit ex tribus. Primum ex auaritia, quia suum lucrum in populo amittere timuerunt. Quod autem docuit D. Gregor. Magn. in cap. 2. Reg. Idcirco, ait, in Redemptoris mortem consensit Caiphas, quod oblationum veterum lucra amittere formidauit. Nam ex facilius, ac donis oblaris in templo Pontificis, & Pharisæi magnum lucrum habebant. Auaro autem, & ambizioso proprii emolumentum amissio, magnus est cruciatus, & angustia vehemens. Sic præ animi afflictione dicebat auarus ille: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Luc. 11. num. 17. Sicque villicus iniquitatis considerans seipsum esse amouendum à potestate administrandi bona Domini sui dicebat: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Luc. 16. n. 3. Pro quo vide multa supra cap. 4. n. 3. 4. 5. & 6. & cap. 28. n. 8. 9. & 10.*

**15.** **Alb. Magn.** **Inuidi angustiantur ex alterius exultantia.** **Act. 4.** Secundo. Ait Albertus Magnus: *Prouenit hæc angustia ex inuidia, quia Christo in gratia miraculorum florenti inuidebant Iudæi. Sic videntes Iudæi miracula, quæ fiebant ab Apostolis dixerunt: Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem novum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem, Act. 4. n. 16.*

**16.** Considerant Pontifices, & Pharisæi illustrissima Christi opera, & inde prodit inuidia, ut vsque ad mortem deficiat. Stephanus vir Iustus, Sanctus, & pius multa charitate eleemosynarius in pauperes. Tamen multa auaritia, qui aduersus eum commouerunt plebem, & seniores, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, Act. 6. num. 12. vbi cum falsis testibus ad mortem damnatus est, & eicientes eum extra ciuitatem lapidabant, Act. 7. n. 47. Quomodo fieri potuit, ut vir tam præclarus sic in concilio neci traditur? Dicitur de eo Stephanus, plenus gratia, & fortitudine faciebat signa, & prodigia in populo, Act. 6. num. 8. & iterum, non poterant resistere sapientia, & spiritui, qui loquebatur, ibidem num. 10. Cum ergo Stephanus prodigijs,

miraculis, gratia, fortitudine, ac sapientia omnes superasset, inde concilio coacto omnes contra eum armantur, & ad mortem, ac lapidationem communi omnium suffragio traditur. D. Chrysof. homil. 15. in Acta Apostol. *Per signa, ait, in inuidiam non solum; sed & quoniam legis cognitione superior erat, illisque intolerabilis, falsisque testes constituunt aduersus eum.*

**17.** **Alb. Magn.** **Homines maxime solliciti de iurisdictione ni muerit.** Tertio. Albertus Magn. ait: *Prouenit angustia ex timore amittendi administrationem officij, & dignitatis sue. Ut patet in villico iniquitatis modo citato. Benè sciebant consiliarij, quod Christi aduentu deperdita est eorum iurisdictione; & Pharisæorum superstitiones, ac abusus omnino extincti erant, ac proinde pro suo iniquo regimine tuendo vehementer obstitabant Pontifices, & Pharisæi, ne Christus, ut verus Messias agnosceretur, ac recipereur à populo; frequenter multa solent facere principes, ac magistratus pro sua iurisdictione tuenda, ne tempore suæ functionis videatur imminuta, ac defraudata.*

**18.** **Ioan. 18.** **Timent homines suam iurisdictionem amittere.** Meus Iesus accusatus à principibus Sacerdotum, ac Pharisæis stetit ante præsidem Pilatum, à quo in Prætorium vocatus, iterum interrogatur: *Tu es Rex Iudæorum?* Ioan. 18. num. 33. Cui respondit Iesus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cur non districte respondit Dominus, quod ipse sit Rex Iudæorum, ac Rex omnium regum, sed ita moderate temperat responsum cum multa cautela, ut dicat regnum suum non esse de hoc mundo? Christus rex vniuersi qua Deus, & qua homo erat, tamen cum interrogatur, an sit rex, veritatem negare non licebat. Si autem aperte affirmasset se esse regem, Pilatus pro defendenda sua iurisdictione, proque iurisdictione Cæsaris potestate, cuius vices gerebat, audiens, quod ipse esset rex, maxime turbaretur, acerbèq; stimularetur ad iras, tumultus, ac contentiones contra ipsum Dominum; quæ omnia ut innocens Agnus evitaret, aperte declarat regnum suum non esse de hoc mundo. Ut inde præsidem securum reddat, quod ob suum regnum, potestas eius non sit imminuenda. Tolertus in Commentario ad citata verba: *Regnum meum non est de hoc mundo. Sic ait: Nec absolute negat se regem esse, ne veritatem occultasse videretur: erat enim Rex regum: nec firmus affirmat omnino, ut Pilatum à formidine liberet, qui dignitatem Cæsaris in Iudæa tuebatur. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo, regnum habeo, sed non est de mundo hoc, id est, non est de hoc seculo, quale est regnum regum mundi. Et mox subdit ex D. Augustino tract. 115. *Audite Iudæi, & Gentiles: non impedio dominationem vestram in hoc mundo: regnum enim meum non est de hoc mundo.**

QVÆSTIO IV.

Quare Iudæi, qui signa quærebant à Christo, nunc contra eum obijciunt, quod signa faciat?

**19.** **March. 12.** **Ioan. 6.** **ESPONDEO** primo ad quæstionem. Signa à Christo quærebant Iudæi, ut in eum crederent, eumque ut verum Deum, ac Messiam recognoscerent, sic dicebant: *Magister volumus à te signum videre*, March. 12. num. 38. Sic & iterum dixerunt, tanquam negantes ab eo facta: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus?* Ioan. 6.

